

juribus, privilegiis et libertatibus; sic archiepiscopus cum solennitate, post brevem deliberationem osculando eundem marschalcum ad genas, confert sibi officium suum, quo facto erectis digitis praestat marschalcus juramentum fidelitatis domino suo, et tollit equum, in quo sedebat archiepiscopus, quando fuit introductus, et hoc si comes in Brockhusen non adest.

Item illis sic actis, dicit marschalcus ad circumstantes nobiles et vasallos: Viri digni et colendi, quid domino meo gratiosissimo, ut honoretur gratia sua tempore suae introductionis etc., ad quod unus de nobilibus vel vasallis respondet: Accedat consulatus Bremensis, et cum omni humilitate praestabit domino eorum homagium et fidelitatis juramentum, et petat confirmari omnia eorum privilegia juri non repugnantia. Post brevem deliberationem accedit senior proconsulum provolutus ad genua, praestans archiepiscopo nomine totius communitatis homagium et erectis digitis fidelitatis juramentum.

Item marschalcus iste dicit: Spectabiles viri, ex quo dominus noster gratiosus vobis concessit et confirmavit vestra privilegia, volens vos et vestros in libertate antiqua defendere et conservare, expedit et publica utilitas exigit, ut ipse dominus noster gratiosus more antiquo, quemadmodum antecessores sui, honore praeveniatur, et vos petitionibus suis annuatis; cui respondetur per praedictum: Quid est, quod dominus noster gratiosus petit? Respondet marschalcus: Antecessores sui restituerunt omnes proscriptos, bannitos et relegatos, hos idem dominus noster restituit, hoc vos absque contradictione tanquam filii obedientiae et subditi vestro domino non habebitis denegare, restituat omnes proscriptos et relegatos in pristinum eorum statum, item unum maleficum vel vinctum liberat.

Post hoc cum eorum introducto et honorifice suscepto domino et cum toto ejus comitatu omnes laetentur, et sibi ex corde gratulentur, honorantes eundem pretiosis muneribus, recognoscentes ipsum notabili propina invitando ipsum de hospitio.

Bruckhusen. Item si adest comes in Bruckhusen in introductione archiepiscopi, ille descendit de equo, et tenet strepam dextram, et tollit equum, in quo sedebat archiepiscopus, et petit se infeudari cum comitia in Bruckhusen; quem archiepiscopus post brevem deliberationem infeudat per pacis osculum, et ipse comes praestat erectis digitis fidelitatis juramentum domino Bremensi, et marschalcus pro ista vice